





18

II

1713, 5.

1710.

QVÆSTIONES INAUGURALES.

DE

VSVVRIS,

Quas

SUB AUSPICIIIS DIVINI NUMINIS
ITA DECERNENTE

Illustri Fctorum Collegio

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROOQVE JURE HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
CONSEQVENDI

IN

ALMA ARGENTORATENSIVM
UNIVERSITATE

publicæ ac SOLENNI Eruditorum
Examini submittit

LUDOVICUS ZENOBIUS
MENWEEG, Gronweissenburgens.

Ad d. 2. Augusti M-DCC XIII.

Horis locoque solitis.

ARGENTORATI,

Literis JOHANNIS PASTORIL.

13/

DEO,
OPTIMO
MAXIMO
PATRIÆ
PATRONIS
PATRUO
PARENTIBUS
ATQVE
AMICIS.



PRO O E M I U M.

S **C** *Um Dei sub auspiciis,
permittente ita Ma-
gnifica Jurisconsulto-
rum Argentoraten-
um Facultate id mihi concessum
fuerit ut ex quacun-
que mihi lu-
beret materia Controversias ex-
cerperem, Examinique publico
& solemniter sifterem, diu hæsitavi*

A 2

ex

ex qua *Jurisprudentiæ* sede meam
 concinnare possem *Inauguralem*
 quam vocant *Disputationem*.
 Tandem ex certis *rationibus* mi-
 hi quæ de *usuris* agunt *Quæstio-*
nes placere, quarum aliquot in
 publicum edere, earumque *dis-*
quisitionem, prout mos fert *Aca-*
demicus, subire jam est animus.
 Conniveas *Benevole Lector!*
debilibus meis *Viribus*, & si quid
 uti nullus dubito, minus *acura-*
tum minusque *solidum* *deprehen-*
deris, æquo *Christiani* animo
cenfuræ placidæ omne *submittas*
 oro rogoque. Sit itaque
 Quæ-



Quæstio I.

Quid sint Usuræ?

Non possumus melius de subsequentibus judicare quæstionibus quam si accuratè definiamus, quid usuræ in conceptu suo significant. Varias in jure videmus pecuniæ functiones, quarum ope res inter se mutantur. Habemus enim in Jurisprudentia nostra *Pretium*, habemus *Mercedem*, habemus *honorarium*, habemus *Proxenicum*, habemus *Annuos redditus*, habemus denique *usuras*. *Pretio* rei ipsius valor si non exactus, saltem civilis, æstimatur & indagatur, *zu Deutsch/ Preis/ Mercede* exæquamus rei seu operæ usum, *zu Deutsch/ Lohn*. *Honorario* aut aliquo modo compensamus usum artis liberalis, aut saltem remuneramus id, quod regulariter gratis fieri deberet. Germ. ein

Trincgeld/ aut corrupte **ein** Gratial. *Pro-*
xenetico rependimus ministerium alicu-
 jus qui negotia vel res aliquas nobis con-
 ciliavit. *Annuis redditibus* æstimamus
 venditam nobis pecuniæ sortem. Germ.
unablösl. Zins. *Usuris* autem ipsius
 pecuniæ tanquam sortis usum repensa-
 mus, Germ. **Zins.** Facilis inde usurarum
 exsurgit definitio; Scilicet usuræ sunt *certa*
pensiones, quibus sortis regulariter in pe-
cenia numerata consistentis usus compen-
satur & æstimatur. Loco generis posui
Pensiones, quia regulariter in pecunia nu-
 merata consistunt, pecunia autem nu-
 merata olim appendebatur. Dico porro
 regulariter; fors enim aliquando per spe-
 cialem conventionem in alia re, quam
 pecunia numerata consistere potest.

Quæstio II.

Quotuplices sint Usuræ?

USuras diximus esse certas pensiones,
 quibus sortis regulariter in pecunia
 nu-

numerata consistentis usus æstimatur. Harum pensionum varias species Doctores exhibent, sc. I. ajunt esse alias Punitorias alias Lucratorias, alias Compensatorias. Punitorias dicunt esse eas, quæ præstantur ob fidem contractus violatam, sic ex. gr. in lege Commissoria emtioni venditioni adjecta usuram punitoriam perhibent esse, quæ percipitur à venditore qui, emtore intra certum tempus pretium integrum non solvente, secundum plures JCtos, partem pretij solutam retinet. Sic cuilibet alij contractui talis usura adjici potest. ex. gr. Si intra certum tempus canonem non solveris seu mercedem, duplum vel triplum præstabis. Lucratorias definiunt quæ ob solum lucrum percipiuntur, quæ pro scopo non habent solam compensationem usus, sed cum ea animum lucrandi ostendunt. Talibus lucratoriis usuris incumbunt injusti foeneratores, Judæi & Christiano Judæi, die mit dem Juden, Spieß in der Stadt und auf dem Land herum jagen/ aut uti alias Satyricè app. getauffte
Ju

Juden. Compensatorias describunt esse eas, quæ percipiuntur ob usum aris alieni, & ob lucrum, quod alter ex mea pecunia percipit. Ex dictis patet non omnes has species, esse genuinos usuræ furculos, sed ob similitudinem à Doctoribus usurarum speciebus annumerari, ad eum modum, qui Philosophis & Logicis communis est, & qui dividit analogum in sua analogata II. distingunt Canonistæ usuras in Mordentes & non Mordentes, *illas* appellant, quæ lædunt charitatem proximi, *has* esse dicunt, quæ non lædunt proximi charitatem, seu humanitatem. III. Dividi possunt usuræ, in *usuras fortis*, & *usuras usurarum*; *illæ* sunt quæ ex sorte percipiuntur, *Hæ* autem, quæ ex usuris ipsis ob tardiores illarum solutionem petuntur. *Hæ* usuræ usurarum dicuntur in specie Anatocismus, *la conversion des arrerages en principal*, mutatio seu computatio usurarum in sortem eo fine facta, ut ex istis, tanquam parte summæ principalis rursus usura peti possit. *Hæ*

Hæ à Germ. etiam vocantur **Juden-
Zins** & verè referri possunt ad morden-
tes lucratorias. IV. Dividuntur usuræ
in usuras in specie & fœnus nauticum.
Usuræ in specie debentur ob usum illius
fortis, quæ jacet periculo debitoris, fœ-
nus nauticum autem præstatur ob usum
illius fortis, quæ jacet periculo creditoris,
& aliàs trajectitia appellatur, quia trans
mare fertur; fœnus nauticum iterum est
vel *verum*, vel *quasi*, *verum* est, quod
percipitur ob pecuniam quæ trans mare
fertur, *quasi*, quod percipitur ob pecuni-
am, quæ per loca terrestria periculosa
transfertur, Gallis dicitur fœnus nauticum,
la grosse & haute aventure, quia ex mi-
nima pecunia mutuo data & huic fœno-
ri exposita maximum lucrum percipere
& acquirere possum. V. dividuntur à Ca-
nonistis usuræ in Reales, Conventiona-
les, & Mentales. Reales sunt, quæ sta-
tim dantur, Conventionales, quæ pro-
mittuntur, Mentales, quæ tantum spe-
rantur.

B

Quæst. III.

Quæstio III.

An hæc usuræ sint licitæ?

Perspecta definitione & divisione usurarum in suas species (tam universas quam analogas id est in veras aut quasi) procedemus jam ad quæstionem de justitia usurarum. Non tantum enim Jurisconsultus explicat, quid sint res morales, sed & præsertim inquit in rectitudinem actus. Ad decidendam autem hanc controversiam varias primo referre juvat opiniones. Sunt qui statuunt jure naturali usuras esse prohibitas, eo quod inhumanum sit, divitem à paupere propter usum pecuniæ aliquid exigere, inhumanitatem autem ex eo derivant, quod rerum natura omnes res hominum gratia comparauerit eisdemque omnia gratis dederit, qui ergo defendi poteritis, qui non gratis, sed pro certa mercede & fœnore pecuniam elocat. Hinc in Ecclesia aliquando creditum fu-

isse

isse dicunt, omnia debere esse communia
 pristinamque reducendam esse æqualita-
 tem, ita ut nec dives nec pauper, sed o-
 mnes in æquali & tranquillo statu reperi-
 antur. In specie autem de mutuo habemus
 expressum Christi mandatum, quod
 nobis hæc verba dicit: *Mutuum date, ni-
 hil inde sperantes.* Unde argumentum,
 uti credunt, firmissimum extruunt, &
 ajunt, etiamsi jure Naturæ justitia usura-
 rum aliquatenus defendi posset, nihilo-
 minus ex jure Christi positivo illud quod
 juris Naturæ permissivi est per contrariam
 Legislatoris sive Divini, sive humani dis-
 positionem & voluntatem tolli & infir-
 mari vel potius impediri posse? Unde &
 hujus dicti autoritate Canonistæ usuras
 tam absolute damnaverunt ut non solum
 Moratorias, sed etiam Compensatorias,
 (*secundum Henr. Linck. Comm. ad tit. X.
 de Usuris, & alios*) atque Punitorias in
 Canonibus non esse admittas statuerent.
 Quoniam ajunt, ratione conscientia, &
 quam canones respiciunt, certum esse,

nequit, protinus ob moram debitoris vel usum pecuniæ nostræ præcise hanc vel illam quantitatem patrimonio nostro subtrahi vel alteram illam lucrari, imo etiam mentales & palliatas in hac prohibitione includunt; modo intentio & spes lucri sit principalis & primaria, non quando minus principaliter aut per consequentiam lucrum spectatur, ut *ex Barbosa ad cap. 10. h. t.* modo allegatus auctor differit. Certe *in cap. 4. X. h. t.* dicitur, quod usuras utriusque testamenti pagina detestetur & in cap. 10. supra ex N. Testam. citatum Christi præceptum in hujus Theleos firmamentum adducitur. Plura de his qui legere cupit adeat *Engelii Collegium Juris Canonici lib. 6. h. t. n. 5. & seqq.* in quo etiam tam ad loca quam argumenta contraria respondere conatur. Conferatur etiam *Laymannus Theologia Morali lib. 3. tr. 4. c. 16. n. 4. sub fin. & 5.* In tantum autem usuras prohibitas esse volunt, Canonistæ, ut 1. ne quidem pactum de jure antichreos pignori adjectum

Etum permitti doceant, prout illud ex *cap.*
 1. & 2. *h. t.* & *cap.* 6. X. *de pignoribus* pro-
 batum dare contendunt. II. Nequidem
 ex Pontificis dispensatione permitti posse
 usuras pro redimendis Christianis captivis
 à Saracenis existimant, ne fiat malum, ut
 inde eveniat bonum, id quod & ad elee-
 mosynas & alia pia facillimo negotio ex-
 tendi posse credunt quam in rem non
 tantum *cap.* 4. *h. t.* Sed & *Can.* 27. *caus.* 1,
quast. 1. adducunt. Porro III. ajunt, ven-
 dentem rem ob dilationem solutionis
 plusquam valet contra prohibitionem
 hanc canonum generalem peccare, licet
 enim figura verborum contractus nul-
 lum forus contineat, hoc ipso tamen u-
 suras palliativè exerceri autumant. Nec
 IV. ajunt juvare jurisjurandi religionem,
 utpote quæ rei per se illicitæ nequaquam
 accedere potest, licet enim hoc jusjuran-
 dum servari posset ratione jurantis, esset
 tamen illicitum, uti distinguunt, ratio-
 ne creditoris & accipientis propter usu-
 ras damnatas, conf. *hic c.* 13. X. *h. t.* hinc

& repetitionem ei, qui usuras tales dedit
 Canonistæ concedunt. V. denique,
 quod admirationem meretur *ex cap. ult.
 in pr. h. t.* adducunt eum pro usurario
 haberi, qui à debitore recipit aliquid ul-
 tra fortem, etiamsi in se periculum reci-
 piat.

Verum enim vero, licet hæc ita sint
 & aliquando propter abusum omnis rei
 usus improbari possit, atque hætenus jus
 Canonicum hoc nomine injustitiæ accu-
 sari non possit, non tamen puto tam stri-
 ctè hisce dispositionibus inhærerè, sed
 potius contraria consuetudine juris istius
 intentionem vel directè vel indirectè es-
 se elisam, nam cum videam ne quidem
 jus Divinum & Naturale omnes usuras,
 sed tantum mordaces, damnare, imo
 ipsum jus Canonicum remedium annuo-
 rum redituum advenisse, quibus usuræ
 ex uno latere depressæ, ex altero rursus
 exsurgerent, suo respectu usuras in se in-
 justas esse non statuendum esse existimo,
 dummodo moderamen inculpati lucri,
 ex-

exactè observetur. Id quod expresse approbavit constitutio Imperatoria Can. Jure posterior *Recess. Deput. de Anno 1600. §. 152. & Recess. Noviss. de Anno 1654.* in quibus usuræ tanquam determinatum interesse sunt probatæ.

Quæstio IV.

An usuræ usurarum sint licitæ?

EA, quæ proximè diximus cum grano salis accipienda esse meritò admo-
neo. Dum enim usurarum justitiam defendo, iisque aliquem locum in rebus publicis nostris concedo, mordaces, quæ charitatem proximi lædunt, exclusas esse volo. Hinc quæritur an usura usurarum, quas Anatocismum Doctores appellant, in Classem mordacium usurarum referendæ, & per consequens illicitæ sint? Supra jam dixi Judæos & Judæo-Christianos summos harum usurarum

rum esse patronos & fautores, qui proinde suis coloribus non destituuntur, quibus iniustitiæ suæ fucum faciunt, & homines decipiunt. Exclamant, usuras nil aliud esse, quam compensationem illius interesse quod mihi ab altero intercipitur, atqui qui usuras magna summa debitas solvere retardat, pecunia mea egere me facit, lucrum quod ex ea facere potui intercipit, & per consequens patrimonium meum diminuit, Ergo ad compensationem istius intercepti lucri cessantis tenebitur. Si tenetur ad compensandum interceptum lucrum cessans, tenebitur utique ad aliquid præstandum, quod conficiet usuram usurarum. Porro ajunt, esse inanem distinctionem & imaginariam inter sortem & usuras. Si enim ex sorte usuras petere possum, quid impedit, quo minus non possim etiam ex usuris usuras petere, cum usuræ ex eadem materia constent, ex qua constat fors ipsa. Tertio addunt, facillime huic prohibitioni fraudem fieri posse, cum

cum licitum sit usuras debitas exigere, & post exactionem eandem pecuniam sub titulo fortis elocare, ex qua usuras rursus petere non est interdictum, quæ ergo prohibitio, quæ tam facillimæ fraudi hominum est obnoxia?

Verum rectissime Anatocismum à Legislatoribus improbatum esse statumino. Scilicet in *lege 28. Cod. h. t.* hujus exactionis injustitia satis dare reprehenditur, & ampliant Doctores, (inter quos *Struvinus ad h. t. th. 50. Wesenbecius conf. 72. Frantz. k. 2. resol. 10. num. 43. Berlich. decis. 268. n. 4.*) hanc decisionem ita, ut prohibitus censeatur Anatocismus I. etiamsi novatio eatenus facta sit inter debitorem & creditorem, II. etiamsi creditor ob moram debitoris pecuniam sub usuris mutuam accipere coactus fuerit; de quo tamen alii non sine ratione dubitant. Illud quoque addunt prohibitionem Anatocismi extendi posse, III. ad usuras ex re judicata debitas uti id videre est *ex*

C

leg. 3.

lege 3. Cod. de Usuris Rei iudicatae, quam transcribere non incongruum iudico.

Ratio hujus prohibitionis deducitur tam ex prudentia Legislatoris, quam ex summa æquitate, quæ debitoris usuras jam non solvere valentis miseretur, & per consequens inter cives egestatem nimiam evitat. Non jam mihi quis objiciat debitorem divitem & forsan ex malitia usurarum solutionem differentem, quia creditor sibi imputare debet, quod debitorem divitem ad id, quod sui est officii, non adegerit. Merito ergo sentiat poenam, si ita appellare licet, negligentia suæ.

Quæstio V.

Quot modis consequamur Usuras?

TRiplicem usurarum fontem exhibet Schützius in compendio juris Lauterbachiano. tit. de Usur. p. 417. scilicet *Conventionem, Moram & aliam singularem*

larem æquitatis rationem. Quod conventionem attinet in specie distinguebatur Jure Romano inter pactum & stipulationem & inter negotia bonæ fidei & stricti juris. Si pactum adjectum fuerit, iterum distinguebatur, an *bonæ fidei judiciis adjectum*, an vero *stricti juris negotiis*, si illud tunc rursus dispiciebatur an pactum fuerit in continenti adjectum an vero ex intervallo. Si usuræ promissæ fuerint per pactum in continenti adjectum, tunc exigebantur actione ex contractu illo descendente l. 5. C. de pact. inter empt. l. 24. in f. h. t. l. 26. §. 1. ff. de depositi, quod si ex intervallo adjectum fuerit, tum usuræ Jure Romano naturaliter tantum debentur l. 3. C. h. t. l. 8. f. de pignor. act. l. 18. qui potiores in pignor. l. 5. de pign. l. 22. C. h. t. Si hoc, i. e. si Stricti juris negotiis pacta adhibebantur, usuræ regulariter etiam debebantur tantum naturaliter l. 3. C. h. t. l. 24. de Prasir. verb. nisi i. in trajectitia pecunia seu nautico foenore, l. 5. §. 1. l. 7. ff. de naut. foen. 2. in

mutuo specierum, e. g. Tritici, Vini, Olei &c. quarum pretium variabile erat, *l. 12. 23. C. h. t.* & 3. nisi Argentariis & Civitatibus promissæ. *Nov. 136. c. 45. vers. usura sanè. C. 30. ff. h. t.* & hoc in casu dicebantur fieri pacta Usurarum legitima, quia ex speciali legis assistentia producebant actionem & exactionem.

Quod si stipulatione usuræ promissæ fuerint, uti id fieri poterat in omnibus omnino contractibus tam unilateralibus quam bilateralibus, tam bonæ fidei quam Stricti juris, usuræ promissæ petebantur actione ex stipulatu, *l. 3. C. h. t.* quam Regulam Jcti & Legislator Justinianus ita ampliavit, ut, si forsan in tempus aliquod certum fuerint usuræ stipulatæ, temporis cura non fuerit habita, sed perpetuò eas debitas esse pronunciaverit, *l. 12. n. h. t. l. 24. de P. V. l. 15. C. h. t. l. 15. C. h. t.* Hodie, cum pacta nuda regulariter actionem, sc. *conditionem ex moribus* producant, non puto amplius tam studiosè distinguendum esse inter bonæ fidei & Stricti juris
judi-

judicia & inter pacta in continenti ad-
jecta, & ex intervallo adscripta seu appo-
sita. Ergo usuras, modo moderatæ sint
quantitatis, debitas ex pacto adjecto pe-
tere possunt, quivis non tantum Ma-
jorenes, sed multo fortiori ratione *Mi-
norenes*, quorum causa etiam circa *Mo-
ram* à debitore commissam speciale quid
constitutum.

Transimus ergo jam ad *secundum* u-
surarum fontem, *Moram* scilicet, quæ
est injusta rei alicujus faciendæ dilatio,
l. 21. ff. h. t. Hic rursus distinguebatur inter
judicia bonæ fidei & Stricti juris. *In istis*
ex mora usuræ debebantur, non item *in*
his per l. 32. §. 2. c. 34. ff. h. t. l. 24. ff. de Præsc.
verb. l. 3. C. h. t. nisi aliquos casus excipias
contentos *in l. 34. ff. de usur. l. 87. §. 1. de*
leg. 2. l. 17. §. 5. l. 43. ff. h. t. Sed hodie rur-
sus hæc distinctio non attenditur, sed sim-
pliciter ob *moram* commissam obligatio
ad usuras nascitur seu incipit, præprimis,
si distinctio inter bonæ fidei actiones &
Stricti juris negotia, uti plures volunt,
nunquam fuit apud nos admissa. *Mo-*

Mora autem contrahi dicitur vel ex persona debitoris vel Re sc. sine ullo hominis facto ex sola Legis dispositione. *Ex persona debitoris* si aut interpellatus non solverit, aut si dies adjectus effluerit, tunc enim dies admonet & interpellat pro homine, conf. l. 32. ff. de usur. l. 23. 127. de verb. oblig. l. 12. C. de contrab. & committ. stipul. Ex re e.g. ob favorem Minorum l. 3. C. in quibus causis in int. rest. Si scilicet pupillo vel Minori debetur, tunc statim à die debiti debitor in mora constituitur, etiamsi debitor non sit interpellatus. Conferatur Struvius, qui alia etiam exempla profert *Exerc. 27. ad h. t. §. 68.*

Tertium usurarum fontem, scil. *aliam aequitatis rationem* haurire licet ex l. 10. §. 3. l. 12. §. 9. ff. Mand. l. 23. §. 1. ff. h. t. l. 5. C. de A.E. l. 17. §. 5. l. 43. h. Conf. si placet, *Hagen. de usur. c. 9. n. 61. Beym. tr. sing. de Mora c. 4. ad quos B. L. remitto.*

F I N I S.

Strassburg, Diss. 1711-15

X 2310583





18
II
17135

QVÆSTIONES INAUGURALES,

DE

VSVRIS,

Quas

SUB AUSPICIIS DIVINI NUMINIS
ITA DECERNENTE

Illustri Actorum Collegio

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES

ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
CONSEQVENDI

in

ALMA ARGENTORATENSIVM
UNIVERSITATE

publicæ ac SOLENNI Eruditorum
Examini submittit

UDOVICUS ZENOBIUS
MENWEEG, Cronweissenburgens.

Ad d. 2. Augusti M-DCC-XIII.

Horis locoque solitis.

ARGENTORATI,

Literis JOHANNIS PASTORII.